pertatem dixerim, ut mori sit melius, quam indigere; nam vir
respiciens in mensam alienam, non est vita eius in cogitatione
victus, alit enim animam suam de cibis alienis. Occurrit mi
hoc loco dictum Theognidis, is cum videret Poëtas compositis fa-
bulis veluti praeclaro aliquo invento gaudere, ipse relictis fabu-
larum commentis ad formandos mores, vitamque bene instituendam
Poeticam traduxit, cuius hoc praeclarum de paupertate extat
eulogium: In mare cetiferum, ne te premat aspera egestas
Desili, et è celsis corrue Cyrne iugis; quasi dicere voluisset: qui
vitam in miseria ducit, mori potius amet, multò enim melius
est è vita discedere, quam solem sui dedecoris testem habere.
Videmus enim saepe eos qui paupertate vitam degunt, in iuventute
ad virtutem exerceri non posse, at ubi in virum adoleverint,
improbissima quaeque perpetrare. Nam si forte Legatione aliqua
pro patria fungantur, facile pecunia corrumpuntur: con-
cionaturi quoque quo spes lucri invitaverit, eò flectunt ora-
tionem: Ius vero dicturi pro largiente pronuntiant, suscipi-
untque pro suffraga~~nte~~tis dona. At dives quispiam, paupertatisque
cura levatus ad spem protinus honestissimam attolluntur, et
ubi ex ephebis excesserint, splendide cuncta administrant; id
in pace sumptum edendis publicè muneribus, faciendisque ludis,
praebentes iam in bellis impensas, in toleranda militiâ onera
conferentes. Et vero quemadmodum gravibus astricti vinculis
quo minus liberum ipsis sit, quod velint agere vinculis pro-
hibentur, ita in paupertate degentibus obstat, quo minus ex-
ercere libertatem possint ipsa paupertate, et inopia rerum.
Irum vobis propono, qui cum Ithacensium unus esset, non ta